



18 Quid si petas unde dignoscatur voluntas superioris deneganda dispensationis, cognita vere qualitate conducente ad dispensationem: ead. disp. 21. n. 19. multos referens dixi ad prudentem arbitrio reliquendum, quando nec ex jure, nec ex illo curiae aliquid constat, idque prudentem judicatum ex dispensantis consuetudine in similibus dispensationibus. Quod idem tradit Suarez tom. 2. de religione, tractatu de voto, lib. 6. c. ultimo num. 15. sic bene explicans, in non solet cum tali, aut cum tali circumstantia dispensare, etiam si possit: idque ex causa rationabili pertinet ad modum dispensandi, quem ipse putat meliorem, aut prudentiorem; vel si ipse autem declaravit sufficienter se esse in tali proposito.

19 Quando autem omnibus circumstantiis pensatis, effectus adhuc dubium, an cognita plene veritate prelati concederet eodem modo dispensationem, & sic an sit taciturnitas veri, & expressio falsi circa causam finalem, ac proinde corrumpat dispensationem, an potius sit circa causam impulsivam, & sic valeat: dixi ead. n. 19. prelati pro valore.

20 Sed quid si plures proponatur causa, una vera, & altera falsa? Sic distinguendum est. Si vera sit sufficientis ad dispensationem eodem modo concedendam, quo concessa est, & falsa soli faciliori concessio deseruiat, valebit dispensatio; sed non tamen, quando neutra per se sufficit, sed solum utraque simul, vel ad concedendam dispensationem, vel saltem ad concedendam eodem modo. Ratio prioris partis est, quia cum sola ea causa vera sit omnino sufficientis, illa sequatur causa finalis, & sufficienter fundat dispensationem. Insuper, quia cum plura copulativè narrantur, quae de jure non sunt necessaria, resoluitur illa copulativa in disjunctivam. Ut traditur capit. Cum iam dudum, de prebend. Et docent Abb. & alii, quos refert, & sequitur Malcardus de probationibus conclus. 325. n. 4. Posterioris etiam est ratio, quia cum neutra per se sufficiat, censetur utraque simul causa finalis. Atque idem hanc partem probavi contra alios, ead. disp. 21. num. 42. & 44. & tradit Suarez eod. cap. ultimo, num. 10. Et apponit optimum hujus posterioris partis exemplum. Ut si voti peregrinationis allegatur causa, debilitas aliqua voventis, quae est sufficientis cum aliqua commutatione; allegatur etiam causa paupertas, & idem dispense in eo voto, imposita aliqua commutatione sola personali, dispensatio erit subreptitia. Quia non expressa causa falsa non concederet eodem modo ea dispensatio, sed admixta partim commutatione in aliquo onus reale, ut moraliter ac prudenter fieri solet.

21 Quid si roges, an similiter taciturnitas veri, aut falsi expressio, reddat irritationem, & commutationem voti irritati dicendum est in irritatione voti abique licentia superioris facti, nullam taciturnitatem veri vitare. Quia cum potest superior abique causa valida irritare, & nulla sibi proposita causa irritet, est visus tota sua potestate uti. Quae ratio idem probat, quando cum licentia emissum est, nec tacetur licentia; aut constat superiore memorem tunc fuisse licentia, & sic concessa. Cum adhuc possit abique aliqua causa valide irritare. Quando autem tacetur licentia, ita ut non constet superiori de illa, diximus hoc 4. lib. cap. 27. num. 39.

22 Si saltem narreretur circa causam petende irritationis, si votum est emissum cum licentia illius superioris irritatur, id est idem dicendum, quod in dispensatione diximus numero 17. quando unica causa falsa proponitur, & si proponatur plures, altera vera, & altera falsa idem, quod diximus in simili dispensatione n. 20. Nam quamvis ad validum irritationis usum non petatur causa, petitur tamen ad licentiam juxta omnes, & ut sit abique culpa lethali, juxta communione sententiam. Ut satis diximus cap. 27. num. 32. Nec est praesumendum voluisse tunc superiore peccare, & abuti sua potestate, irritando independenter ad sufficientem irritationis causa; eo vel maxime, quod non nisi proposita sibi irritaret, ignarus falsitatis. Quando autem tunc petitur irritatio ab alio superiore siue aequali, siue majori, respectu quorum nullam exigi causam, non obstante ea licentia factum, & petitur irritatio ad quocumque superiore, regulariter credo valere irritationem. Quia cum probabilissimum sit nullam exigi causam ad licite irritandum, rarissime superiores irritantes illam petunt, & sic ad communiter accidentibus potest jure optimo praesumi, causam falso expressam non fuisse intentionem sic expressit, juxta modum exempli numero 18. fore ut falsa causa non allegata, minime irritaret, non valebit irritatio. Quia prudenter petere potest causam, secundum omnes utpote qui sua libera potestate irritandi potest non aliter velle uti, imò ad evitandum culpam veniale tenetur illam petere, secundum multos, ut satis explicuimus capite 24. Ergo praesumitur voluntas illa habitualis non aliter irritandi persequeretur, juxta dicta numero 13. Et sic corrumpit irritatio defectu voluntatis in irritante.

23 Si de commutatione loquamur, cum recta Praelati commutatio sit contenta ea causa, ut subditus prior sit ad aliam materiam subrogatam exequendam; quae semper concurrat petente subdito commutationem; non video, qualis taciturnitas veri reddat illam subreptitiam, dummodo

integre proponatur substantia voti, de quo dicemus ad numero 25.

24 Si autem falsa causa allegetur, erit subreptitia. Quia petit causam ad sui valorem, quando auctoritate prelati sit: ita ut propria fieri non possit. Ut dicemus tractantes de commutatione. Atque tunc superior ex causa allegata ductus est ad commutandum, quare ea existente falsa, deficit voluntas. Sicut n. 17. diximus de unica causa falso allegata ad dispensationem. An vero tunc omnino corrumpat, dicemus remissive numero 39.

25 Rursus dubitabis, an quando tacetur, aut falso exprimitur substantia voti, corrumpat dispensationem, commutationem, & irritatio voti. Qua in re sic distinguendum est. Si nulla circa substantiam voti falsitate proposita tegatur superiori votum, proponendo tantum illi votum in genere, valebunt irritatio, dispensatio, & commutatio, si nullus alius defectus causae, aut materiae subrogatae reperitur. De irritatione constat. Quia nil aliud ad sui valorem petit, quam superioris irritantis voluntatem; quae legitima est, quando est non concius voti in specie irritat, quocumque sit illud. Imò & inscius omnino voti potest id efficere sub conditione; quod satis probavi hoc libro 4. c. 22. num. 40. ubi idem probavi etiam in dispensatione, & commutatione; & idem dixi ibi posse hoc praesumit efficere circa vota interna. Atque potest dispensare sub conditione, si est legitima causa arbitrio ipsius voventis, si sit vir doctus, aut alterius viri docti, aut commutare in materiam, quam ille iudicabit aequalem.

26 Hinc excipitur, quando data opera taceatur votum ad decipiendum superiore, ut irritationem, dispensationem, aut commutationem concedat. Quia, nimirum, scitur superiore in contraria voluntate habituali esse non hanc concedendi circa id votum occultatum, & id quidem prudenter, & rationabiliter, atque ita expresso voto deo negaturum hanc. Secus autem, quando ea voluntas esse appetit irrationabilis, aut nulla esset talis voluntas, & forte nollet, ut a concessione aliquot retardaretur, & forte nollet, eo quod minutissimè spelet, vel serupulosis agitur. Quia in priori eventu censetur illa voluntas habitualis rationi consona durare, & ita verificabitur regula in regulari de regulis juris, in 6. non venire in ea generali concessione voti (quamvis enim sit unum votum, potest dici generalis concessio ex parte superioris, quae id votum potest esse multiplex, unum, aut aliud, &c.) id, quod in specie esse denegandum. Secus autem in posteriori. Ut constat ex dictis numero 13.

27 Quid si occultetur persona voto adscripta, vel eius qualitas non referens ad causam iustam, ut si occultetur eam esse vitiosam, aut ex tali progre, imò est falso exprimitur, eam esse studiosam, aut doctam, vel quod simile; valebit utique dispensatio; si aliunde non vitietur. Quia cum haec taciturnitas sit circa impertinentia ad causas dispensandi, & similiter ea falsitas, neutra vitabit dispensationem, est constet eam denegandam a superiore sic decepto. Quod constat ex duplici regula tradita n. 13. & 14. & docet Suarez tom. 2. de religione, tractatu de voto, lib. 6. cap. ultimo, numero duodecimo, & 13. Et similiter est idem dicendum de irritatione, & commutatione sic concessis. Quia fortior ratio militat.

28 Quando autem substantia voti falsa exprimitur, ut proponendo votum abstinenti ad matrimonio, cum sit castitatis, aut ordinis sacri, manifestum est dispensationem esse nullam. Quia cum non proponatur substantialis materia, circa quam veritari debeat voluntas dispensantis, ea dispensatio non procedit ad vera superioris voluntate. Praeterea, quia cum votum non nubendi sit inferius eo duplici voto, nec formaliter, nec virtute clauduntur in illo. Et ita docet Suarez eodem cap. ultimo, numero sexto. Quae ratio idem profus probat in irritatione, & commutatione. Atque hoc procedit, quamvis ex ignorantia inculpabili hoc accidat. Quia nil refert haec ignorantia, eo quod votum verè emissum minime claudunt in dispensatione. Quia ratio idem probat in libro octavo de matrimonio, disputatione 24. num. decimo octavo, quando explicatur ex ignorantia gradus consanguinitatis inferior in dispensatione, ut quartus, cum sit superior, ut tertius.

29 Quid si votum falso explicatum sit gravius, ac difficilius dispensationis, ita distinguendum est. Si utrumque sit omnino diuerum, ita ut neutrum includatur in alio, est irrita dispensatio. Ut si proponatur votum Hierosolymitanæ peregrinationis, cum sit Compellentiae, aut votum castitatis, cum sit jejuniandi una die. Quod probat ratio tradita num. precedenti, cum enim sint diueria vota, nec unum clauduntur in altero, dispensatio in uno nequit explicari, ut censetur in altero concessa. Quia ratio eadem disp. 24. n. 19. probat cum multis disputationem narrando majus impedimentum matrimonii, ut consanguinitatem in secundo gradu, cum tamen sit minus diuersae speciei, ut affinitatis, esse irritam. Si tamen unum includatur in altero tamquam pars in suo toto, ut si sit votum non nubendi, aut non fornicandi, & exprimitur votum castitatis, vel sit votum religionis, & exprimitur votum persequerantiae, valebit utique dispensatio. Quia cum dispensans in toto censatur in eius parte dispensare, illa vota verè emissa clauduntur in dispensatione. Quia ratio probat eadem disp. 24. numero 17. valere

valere dispensationem explicando superiore consanguinitatis gradum, ut secundum, cum sit inferior, ut tertius. Atque ita in propriis terminis tradit Suarez, eo cap. ultimo num. 8. Quae ratio probat idem in irritatione, & commutatione; & quamvis in priori eadem error sit per ignorantiam, utpote qui est circa ipsam voti substantiam, & in posteriori sit ex malitia. Quod non est circa substantiam, & veritate expressa esset facilius dispensatio. Similiter si exprimitur votum ordinis sacri, cum tamen sit non nubendi matrimonii, valet. Quia illud obligat ad non nubendum matrimonium, & ad aliquid amplius. Si tamen esset votum non fornicandi, non valeret. Quia votum sciendi ordinis sacri non obligat ad non fornicandum, & proinde votum verum non clauditur in expresso.

30 Non reputabitur tamen error in substantia, quando vinculum votum, & falso expressum, sunt omnino aequiparata, quae ad dispensationem, ut sunt votum, & iuramentum factum Deo in eius honorem. Et idem valebit dispensatio, utrumvis loco alterius falso exprimitur, vel si dicatur esse votum, cum sit huiusmodi iuramentum, vel si dicatur Quia, ut optime ait Suarez tom. secundo de religione, tractatu de voto libro sexto, cap. decimo quarto, numero 9. n. 11. & 13. licet in rigore specialiter sint diuersarum rationum votum, & huiusmodi iuramentum, paria, & id iuramentum habet eundem modum dispensationis, commutationis, & irritationis cum voto, & in utraque vinculi ablatione consideratur solus Deus, ut creditor, & ut illi tanquam creditori satisfiat, nec multum ad mores spectat, an Deus sit creditor ex mera promissione, an ex inuocatione testimonii diuini, sed sola spectat obligatio ex religionis vinculo facta Deo. Quare id mendacium non est circa aliquid substantiale dispensationis, & idem illam non vitiat. Nec refert, siue iuramentum illud includat promissionem, simul cum diuini nominis inuocatione, siue solum eam inuocationem. Quia utrovis modo factum reputatur secundum communem estimationem votum. Ut bene ait Suarez, eo num. 9. Atque ita hanc partem tenui loquens de dispensatione, l. 8. de matrim. disp. 2. n. 24. Atque eadem rationes idem probant in irritatione, & commutatione.

31 Sed si adit simul votum, & iuramentum factum soli Deo, l. 8. de Ledsima 2. tom. summo, tra. 7. n. c. 2. in fine, ait explicandum esse utrumque vinculum. At sic distinguendum est. Si iuramentum sit accessorium voto, vel e contra, satis est explicare vinculum principale, ut si iuramentum est emissum in voti confirmationem, satis est explicare votum, & e contra, si votum in confirmationem iuramenti, satis est explicare iuramentum. Quia accessorium nulla indiget dispensatione, sed indiretè cessat ablato principali. Et ita probat ead. disp. 2. num. 24. & tenet Suarez, eo cap. 14. num. 25. Quare idem est, est alterum vinculum negetur; cum non sit falsitas circa rem substantialem. Atque quamvis probabiliter sit, esse necessarium utriusque vinculi mentionem, quando utrumque est principale circa eandem materiam, quia unum, scilicet, est assumptum abique dependetia ab altero, sed tantum se habet concomitantè. Quod amplexus sum ead. dispens. 2. numero 24. At satis probabile quoque est, sufficere alterutrum vinculi mentionem, etiam altero negato. Quia optime Suarez, eadem cap. 14. numero 25. & num. ultimo, probat alterutro sublato esse aequè probabile tolli alterum indiretè, per subtractionem materiae, in quam alterum cadit. Et quia, ut idem dicit eo numero ultimo rem moraliter, & practice spectando, parum refert ad voti obligationem in ordine ad Deum, utrovis modo accedat iuramentum: nec est minor obligatio in voto, & iuramento, siue priori, siue posteriori modo fiat. Et ut dicit idem numero 25. per id novum vinculum non augetur grauitas intentionis, sed extensio. Quae rationes idem probant in priori modo esse quoque satis probabile, sufficere explicare vinculum minus probabile. Cum sublato alterutro sit probabile subtrahi indiretè aliud non solum, quando est accessorium, sed etiam quando est principale, nec grauitas intentionis augetur, sed etiam quando est dicendum, sed soli Deo fiat per solum sui nominis inuocationem. Juxta dicta num. praeced. Atque eadem rationes idem probant in irritatione, & commutatione utriusque vinculi.

32 Quando autem non novum vinculum additur, sed idem repetitur, ut idem votum, aut idem iuramentum, abique dubio non est opus mentionem repetitionis heri, est illius repetitum sit. Quia, ut bene ait Suarez, eo. c. 24. num. ult. votum repetitum quasi idem reputatur; & nullam nouam obligationem inducit, sed solum pristina confirmat. Ut bene tradit Azor, tom. 1. institut. moral. libro 11. cap. 14. quast. 1. & probat libro 7. de matrim. disputatione 27. num. 25. Atque hoc secutus sum libro 8. de matrim. disp. 2. num. 25. Et tenet Petrus de Ledsima relatus num. praecedenti. Et Suarez, eodem libro 6. cap. ultimo, numero 12. Quae rationes idem probant irritationem, & commutationem, & idem est falso negetur repetitio. At aliquando per accidens potest irrita reddi dispensatio, tacita repetitione. Ut si votum timore repentino abique prudenti deliberatione emissum repetatur postea plena deliberatione, & allegetur pro causa ea indeliberatio, tacendo repetitionem deliberatam, erit irrita dispensatio. Quia falsa redditur causa eius allegata. At-

que idem erit in irritatione, & commutatione, quando ex falsa causa allegatione redduntur irrita. Juxta dicta num. 22. & num. 24.

33 Si tamen obtenta voti dispensatione, & irritatione, aut commutatione, iterum emittatur, opus erit hiis mediis. Quia cum prius votum sit omnino ablatum, erit iam hoc novum votum. Hoc autem intellige, quando superior per seipsum dispensauit, irritauit, aut commutauit; si enim hoc non fecit, sed delegauit alteri suas vices ad haec faciendam, ut solet Pontifex facere committens ordinario examen precum, & dispensationem, & sacra penitentiaria idem facit in dispensationibus commissis exsecutario in foro conscientiae, repetitio voti ante haec media executioni mandata per delegatum, etiam post delegationem contingat, non oblatit, nec est necessaria illius repetitionis mentio. Quia cum adhuc vis prioris voti perseveret, non additur novum vinculum, sed prius confirmatur. Quam autem obtenta prioris voti perfecta dispensatione, verbi gratia castitatis, iterum idem votum emittatur si huius posterioris dispensationem petat, nulla mentione dispensationis prioris voti opus est. Quia nullo jure ea mentio praecipitur, nec ad causam pertinet. Et ita latissime de hoc agens libro 8. de matrimonio, tota disp. 22. sustinuit ibi numero quarto, & 13. & tenet Suarez, tom. 2. de religione, tractatu de voto lib. 6. cap. ultimo, n. 12. in fine. Et a fortiori est idem dicendum in irritatione, & commutatione voti.

34 Similiter est irrita dispensatio, quando non omnino exprimitur substantia, ut si votum certum proponatur ut dubium. Quia tunc moraliter variatur substantia in ipsa dispensationis materia; cum votum dubium non sit verè votum. Sicut non valeret absolutio explicato peccato certo tanquam dubio. Quod sit mendacium circa peccati substantiam. Atque ita probat libro 8. de matrimonio disputatione 21. num. 40. & docet Suarez, eod. cap. ultimo, num. 6. Atque eadem ratio idem probat in irritatione, & commutatione. Haec tamen omnia valent, si superior dispensans, irritans, aut commutans explicaret, siue sit certum, siue dubium se id scire. Quia iam nullus est voluntatis defectus, nec errore aliquo ducitur.

35 Hinc deducitur, quid dicendum sit, si petatur dispensatio voti religionis, cum tamen fuerit votum perseverantiae in ea. Qui sustinent vota haec non differre substantialem, & in utroque licere egressum ex iusta causa tempore nouitatis, & in neutro abique illa, quos retulimus hoc lib. 4. capite 16. dicent subinde valere hanc dispensationem, irritationem, & commutationem. At tunc postea sententia, quam ibi sustinimus, dicente haec vota esse substantialem diueria, & in posteriori non licere egressum ex quacumque causa, videntur adhuc haec valida. Quippe votum etiam ingrediendi religionem secum assert perueniendi obligationem, nisi iusta egressus causa adit, ac proinde, quamvis votum perseverantiae eam expressam perseverandi obligationem continet, non tamen videtur diuersae speciei, sed veluti extensio eiusdem voti. At extensio eiusdem vinculi, ut voti multiplicati, non est necessario exprimens. Ut diximus n. 32. Caterum ex illis haec forte irrita. Quia est error in qualitate intrinseca tangente voti substantiam, ac proinde non proponitur verum votum. Et ita relatis Doctoribus probat libro 8. de matrim. disp. 21. numero 23. agens de sola dispensatione, & recenta haec diuersitate substantialem utriusque voti ait dicendum Suarez num. praeced. relatus. Et cum eadem proflus ratio militet in irritatione, & commutatione, est de illis idem proflus dicendum.

36 Praeterea, quando votum, vel iuramentum non nubendi est factum in fauorem tertii, vel alterius coniugis, qui illud acceptatur, est opus in dispensatione id declarare, nisi ille certus remitteret, qua parte ipsum tangit. Quia ultra votum, & obligationem Deo quaesitum, est ius parti acquiescitur. Et ita probat lib. octavo de matrimonio, disputatione 24. numero 21. Quae ratio idem probat in irritatione, & commutatione.

37 Quamvis autem votum sit saepe violatum; nulla violationis huius mentione opus est, ad dispensationem eius impetrandam. Quia est impertinens ad dispensationem, & solum illa pertinet ad sacramentalem peccati transgressionis confessionem. Atque ita contra alios probat agens de iuramenti relaxatione, libro 1. de matrimonio, disputatione 32. numero 16. Et tenet Suarez loquens de iuramento, tom. secundo de religione, tractatu de iuramento, lib. secundo, c. 41. n. 26. & idem dicit ibi num. 24. loquens de voto. Atque eo eadem rationem est idem dicendum de irritatione, & commutatione.

38 Quid autem dicendum sit, quando nulla allegatur causa; at re vera erit. Diximus e. 15. n. 3. & 6.

39 An in omnibus casibus, in quibus hucque diximus esse irrita dispensationem, irritationem, & commutationem, fiat omnino irrita, an partim valeant, dicemus tractantes de commutatione votorum capite quinquagesimo primo, per totum.

40 An etiam ablato voto principali per irritationem, dispensationem, aut commutationem, censetur ablata obligatio poenae, & illa valeant non explicato poenae voto; aut explicata poena, & tacita principali voti materia, dixi capite 22.

41 Demum quamvis n. 12. dixerimus necessariò in dispensatione.

fationis impetratione esse narranda, que jus aliquid, aut slylus curia; ac consuetudo narranda prescribitur. At circa votum nil prescribunt esse narrandum, & ideo ad hanc non confugitur ad discernendum, an dispensatio sit irrita ex veri taciturnitate, aut falsi expressione, sed ex generalibus juris principis id discernendum est. Sicut huicque fecimus. Et ita docet Suarez tom. secunda de religione, tractatu de voto, l. 6, c. ult. num. 5.

SUMMARIUM.

An ad dispensandum, irritandum, & commutandum exigatur certa verborum forma, nec sufficiat interna superioris voluntas? An censetur superior factio dispensare, quando admittit aliquem ad actum, quem novit impedire ad illum? An idem sit irritatio, & commutatio? An taciturnitas superioris videtur violari votum, inducit dispensationem? Refertur quaedam sententia, n. 44. Explicatur sententia Auctoris, n. 46. Quid in irritatio, & commutatio? n. 47.

42. Questio posterior. An ad dispensationem exigatur voluntas superioris, aliqua verborum forma declarata, nec fiat sit nutibus, aut factio ipso; & idem ad irritationem, & commutationem? Constat hac in re non sufficere internam superioris voluntatem ad dispensationem, nec eam aliqua verborum forma indigere, sed satis esse eam subditio innoscere verbis quibuscumque, aut aliis signis sufficientibus. Prior pars constat, quia voluntas humana nequit erga homines operari, nisi illis innocet. Posterior etiam pars constat. Quia nullo iure certa verborum forma prescribitur. Et hoc constat ex multis Auctoribus, quos retuli lib. 8. de matrim. disp. n. 27. dicentibus posse superiorem solo facto dispensare. Et tenet Suarez tom. 2. de religione, tractatu de voto, libro 6. cap. finali, numero ultimo. Atque idem dicendum est ob eandem rationem de irritatione, & commutatione, nullis enim peculiaribus verbis indigent, sed sufficit ea quibusvis verbis, aut signis nota fieri subditio.

43. Sed difficultas grauis est, an prelati dispensare potentes censentur factio ipso dispensare, quoties admittunt ad aliquem actum eum, quem sciunt impedire iuris habere ad illum. Ut si admittunt matrimonium eum, quem sciunt votum abstinenti ab illo emisisse. De hac questione latissime egi lib. 8. de matrim. disp. n. 27. ubi variis sententiis relatis; quibusdam limitacionibus; tandem a num. 13. usque ad 18. late probavi id quoque verum esse in inferioribus, siue dispensent in propriis legibus, siue in lege superioris, in qua dispensare valent, siue in voto, & iuramento obligantibus iure naturali. Quod ultra Doctores ibi num. 17. allegatos, tenet Sylvest. verbo votum 4. quest. 8. Sayro in clavi regia, lib. 6. cap. 11. num. 113. & 114. & quamvis eo num. 113. id limitet verum pro solo conscientie foro; at verius est in utroque foro verum habere; si tamen pro foro externo probetur legitimum aduulisse causam, quando ea dispensationis votum indiget. Ut si esset in lege superioris, aut in voto, aut in iuramento. At in foro conscientie valere probavi ibi multa causa cognitione premissa, si re vera erat causa. Hoc enim fat esse probavi lib. 4. cap. 15. num. 6. Et ex multis rationibus, quas ad hoc probandum ibi attuli, unam, vel alteram asseram. Et ratio est, quia cum possit superior impedire, verbi gratia, voto non inuendi matrimonii admittente, licite ad matrimonium dispensandum cum illo, & ad ordinem, tollendo irregularitatem, qua erat affectus, non est precludendum, velle eum cum peccato admittere, cum in omnibus personis presumpit peccati vitanda sit, l. Meo, ff. pro socio, necum in prelato. Ergo per illud factum satis indicat verum dispensandi voluntatem; & cum hac nulla prescripta verborum forma indiget, sed contenta sit, qualitercumque exprimat voluntas interna, erit legitima dispensatio. Secundo, quia etsi non videtur peccatum in superiore dispensante abque pravia causa cognitione, quando ea est necessaria; at etiam delinquit admittens impedire ad matrimonium, vel ad ordinem, nisi eum eo dispenseret. At hoc delicta posteriora sunt longe grauiora priori, ut ex se constat. Et sicut in actu, qui potest exerceri cum peccato, & sine illo, recipienda est presumpcio excludens peccatum, ita in actu, qui sine peccato fieri nequit, & potest fieri cum maiori, vel minori, recipienda est presumpcio excludens grauius peccatum, l. Si adulterium cum incestu, §. 1. 2. & 3. ad l. Iulianum de adulteriis.

44. Atque idem dicendum est in irritatione, si superior irritans norit se irritare posse, & impedimentum voti subditi, & sciens illius admittat ad actum contra id votum. Quia militat prorsus eadem ratio tradita numero precedenti. In commutatione autem non est idem dicendum, cum oporteat aliam loco materiam promissae aequalis materiam subrogare. Quod fieri nequit solo facto admissionis ad actum contra votum.

45. Rursum difficultas est. An sola patientia, seu taciturnitas superioris videtur subditum iure impedire, ut voto, vel alio impedimento, in quibus ipse dispensare potest, exerceat ea sibi interdicta, scientique subditum non obti-

nuisse dispensationem, censetur tacita dispensatio. Quidam negant; quos, & eorum fundamentum retuli lib. 8. de matrimonio, disp. n. 25. & tenet Suarez tom. 2. de religione, tractatu de voto, lib. 6. c. finali, in fine: imo addit idem esse, etsi superior inuitet subditum ad ludendum contra votum. Et neutrum ratione aliqua probat.

46. At ibid. n. 26. probavi esse tacitam dispensationem, si prelati ille cum facile contradicere possit, non contradicat; & hoc etiam, quando actus ille est contra superioris legem, & votum, in quibus dispensare potest. Et ultra Doctores ibi relatos tenent idem loquentes de voto, Sylvest. & Sayro relati n. 43. Et ratio est, quia cum prelati ex officio incumbat delictis subditorum obviare, cum ea videt, ac facile obviare potest, presumeretur grauiusmum prelati delictum non contradicentis, nisi ipsum censeret dispensare dicamus. Et confirmatur, quia ratio solius presumptionis delicti vitandi in quocumque homine premebat ius presumptionis iuris, & de iure, & copulam fecerat post sponsalia de futuro haberi affectu conjugali, & ideo perficere matrimonium, c. i. quis fidei, de sponsal. nedom ea dispensandi voluntas presumentia erit in prelati, ad vitandam culpam presumptionem. Tandem, quia illam taciturnitatem, que est rati habitio de presenti, aut preterito, censeret sufficientem ad conferendam audiendi confessiones iurisdictionem, probauimus libro 3. de matrimonio, dispensatione 33. num. 20. Fundamentum autem contrarie sententia solui eodem n. 26.

47. Atque de irritatione idem est dicendum, quando superior novit votum, & scit se irritare posse, & irritando vitari illa peccata. Quia militat eadem ratio. At in commutatione locum habere nequit; ob ratione traditam num. 44.

CAPUT XLVIII.

A quo tempore dispensatio, commutatio, & irritatio voti profint?

SUMMARIUM.

Andispensatio, commutatio, & irritatio voti profint a tempore concessionis. Refertur quaedam sententia, n. 1. Explicatur sententia Auctoris, n. 2. An factio sit irritatio, & commutatio, nisi per quocumque? n. 3. Quid, si privilegium concedatur per modum statuti, vel constitutionis? n. 4. An a tempore concessionis id operetur, ut possit revocari nequeat? n. 5. An exigatur scientia privilegii, in casus damnium dedit? n. 6. A quo tempore profint privilegium imperatum per nuntium, aut procuratorem? Et an sufficiat principalem certorem fieri per quocumque? n. 7. Quid, si dispensatio per nuntium, aut procuratorem imperata sit, ut contra aliquam legem liceat agere, an sufficiat tunc procurator, aut nuntio intimari, & idem de irritatione, & commutatione? Refertur quaedam sententia, n. 8. Explicatur sententia Auctoris, n. 9.

1. De hac questione late egi lib. 3. de matrimonio, disp. n. 36. agens de privilegiis in genere, & ideo breui referam addendo aliquos ad presens spectantia. Quidam opinantur dispensationem, & reliqua privilegia prodelle a tempore concessionis, nec exigi illorum notitiam in eo, cui conceduntur. Quos, & eorum fundamentum retuli ea disp. n. 36. n. 1. Atque idem dicentem de irritatione, & commutatione.

2. At dicendum omnino est, privilegia, & dispensationes solum prodelle, si nullo effectum sortiri, a tempore, quo de illis certiores fiunt illi, quibus conceduntur. Quod multis textibus, & Doctoribus probavi ea disp. n. 36. num. 2. & solvi fundamenta contraria num. ultimo. Et ultra Doctores ibi relatos tenet Valquez 1. 2. qu. 95. art. 5. disp. 156. c. 4. num. 30. & 31. Et ratio est, quia privilegia, & dispensationes sunt quali quedam donationes. Hae autem non acquiruntur absentibus ante acceptationem. Atque eadem ratio probat idem de commutatione, & a fortiori, cum, ut profint commutatio, debeat subditio necessario acceptare materiam subrogatam ex eisdem voti obligatione. De irritatione autem non videtur eadem ratio, cum non sit tam beneficium eius, cui votum irritatur, quam adus domini omnino independentis a subditio, & ideo effectum suum sortitur a tempore, quo superior irritatur, quamvis ut licet virtute eius vouens agat contra votum sic irritatur, & opus fit in eo notitia irritacionis.

3. Atque non satis est notitia privilegii, aut dispensationis habita a quocumque, ut si quidam tertius, qui casu adiuuit, certiore faciat eum, cui conceditur, sed oportet sit is, qui impetravit privilegium, aut procurator, nuntius, vel eius, aut concedentis privilegium, quid intimat. Quod probavi eadem dispensatione trigesima sexta, numero septimo. Quia hac concessio privilegii est quedam donatio. Hanc autem ut efficax sit, & omnino valida, oportet ut per nuntium delinatum ad id intimetur. Juxta veriorum sententiam, quam

quam probavi lib. 1. de matrim. disp. n. 3. & debet intelligi, quando privilegium est motu proprio concessum, aut ad alterius, quam eius, cui conceditur, instantiam. Ut amplius explicabitur num. 7. Atque eadem ratio idem probat in commutatione. At in irritatione satis est tam per quemcumque, qui casu adiuuit, intimari. Quia cum independentem a subditio sit suum effectum sortitur, ut diximus num. precedenti. Et solaque notitia eius sit necessaria ad licitum usum, non est opus nuntio destinato ad intimandum, sed satis est habita eius notitia a quavis persona fide digna. Ut in simili dicemus num. 7.

4. Limitatur ab aliquibus, ut intelligatur de privilegio concessis gratiose, & per modum rescripti; secus de concessis per modum statuti, & constitutionis. Hanc limitationem defendi eadem disp. n. 36. num. 3. cum multis Doctoribus, contra alios ibi relatos.

5. Secundo limitatur ab aliquibus, ut profint ante notitiam eius privilegium, ad eum effectum, ut ex concessionis puncto nequeat a concedente revocari. Sic docent aliqui, quos retuli eadem disp. n. 36. n. 4. Sed ibi reprobari, & fundamentum eorum solvi, & dixi cum aliis posse revocari, antequam privilegiatus conscius eius illud acceptet.

6. Tertio limitatur, ut privilegium requiratur eius notitiam in persona privilegiata; secus autem in eo in casus damnium dedit. Quod probavi eadem disp. n. 36. n. 5.

7. Ultimo limitatur, ut privilegium non profint ante eius notitiam, quando motu proprio conceditur, vel ad instantiam alterius, quam privilegii, secus si quispiam per suum procuratorem, aut nuntium impetret: tunc enim prodelt a tempore, quo eius concessio intimatur procuratori, aut ei nuntio. Quia ex eo quod mittitur ille nuntius, aut procurator gratia impetranda dispensationis, gerit vices mittentis, ut nomine ipsius acceptet, & cum intimatur ipsi, censetur intimari mittenti. Hoc multis Doctoribus relatis probavi lib. 1. de matrim. disp. n. 29. Atque idem tenet Valquez 1. 2. qu. 95. art. 3. disp. 156. c. 4. n. 30. & 31. Et in hoc eventu ad licitum eius dispensationis usum satis erit privilegiiatum habere notitiam eius privilegii, relatione causis personae fide dignae, etli non sit nuntius, aut procurator eius, aut concedentis. Quia a tempore acceptationis per ipsum imperantem, & solaque ad licitum usum delecteratur notitia illius, que satis habetur a quavis persona fide digna. Atque idem profint dicendum est de commutatione, & a fortiori de irritatione.

8. Hoc tamen intelligit Valquez ibidem n. 31. & 32. ut intelligatur, quando privilegium non continet dispensationem in aliqua lege, concedens licentiam operandi contra illam. Ut si alicui petenti per nuntium suum, aut procuratorem privilegium, nec excommunicari valeat, id concedatur, nil valebit excommunicatio contra eum lata post privilegium intantum nuntio, aut procuratori, quamvis privilegiatus sit se privilegii concessi ignarus. Secus si id privilegium contineret dispensationem contra illam, licite, & valide operari; tunc enim non est preiudicium Pontificem velle illi privilegio concedere, ut privilegiatus ante illius notitiam eo frui possit. Ut si privilegium sit dispensatio in voto, aut ieiunio, aut ad inuendum matrimonium cum impedimento aliocum, aut ad inuendum matrimonium cum impedimento de illo certior fiat; quare matrimonium sit intantum erit nullum. Duciturque, quia cum ea dispensatio concedatur private personae, ut licite contra legem intantum erit nullum, non censetur taliter concessa, ut proit, antequam privilegiatus habeat eius notitiam; ex eo enim solo tempore est licitus illius usus, ac virtute illius contra legem communem operari. Atque ita Doctores omnes limitationis precedentes loquuntur de privilegio, ut impetrans a nemine excommunicari valeat.

9. At potius placet limitationem traditam num. 7. habere etiam locum in hoc casu, & ideo suum effectum sortiri dispensationem concessam ad operandum contra legem commutatione a die concessionis intimatae procuratori, aut nuntio impetrantis. Quia Pontifex respicit ea sola, qua sunt per se, & concedit privilegia, iuxta ipsorum naturam, que est, ut plenum valorem consequatur a tempore acceptationis, per se, vel per suum procuratorem, aut nuntium. At per accidens est abusus illius in impetrante, qui abique notitia illius eo abutitur. Sicut etiam peccare potest debitor notitiam utens illo, si immemor illius, aut credens non valere eo utatur. Et quamvis Doctores loquantur de privilegio, ut impetrans, excommunicari nequeat, id gratia solius exempli apponunt, & doctrina, & ratio quam tradit, est generalis omnibus privilegiis. Ut potest videri in Sylvestro verbo privilegium, qu. ult. ubi eam rationem tradit, cur privilegium vires suas habeat a tempore acceptationis eius per procuratorem, aut nuntium, etli lateat impetrantem. Quia (inquit) ex tempore acceptationis per hos, concurrunt voluntas concedentis, & impetrantis. Que ratio est universalis omnibus privilegiis. Præterea, quia etiam est illicitus usus privilegii, ut impetrans a nemine excommunicari valeat, quamvis a procuratore acceptatum sit, dum privilegium lateat. Si enim eo modo acceptatum, & si usus privilegii ignorato a se, quamvis per procuratorem acceptato, non servaret excommunicationem, peccaret utique. Præterea, quia etiam

matrimonium ordinatur ad licitum copule usum, & tamen valet initium per procuratorem, antequam conlux concitus sit acceptationis facta a procuratore. Nec obstat ante hanc scientiam esse illicitum usum illius; id enim non ex parte matrimonii tunc vere initi provent; sed ex illius ignorantia. Sed diceo, nulli usui tunc esse privilegium, siquidem est illicitus usus illius. Respondeo in primis esse usum ad valorem adus, quando valor ab eo pendet. Præterea, etli usus illius, verbi gratia, dispensationis in voto acceptata per procuratorem, sit illicitus ante eius notitiam, non erit utique contra votum verum, utpote quod est iam dispensatione abolitum, sed contra conscientiam incertam cessationis obligationis voti; & ideo si fractio voti esset reservata, aut excommunicatione affecta, non clauderetur in ea id peccatum, sicut nec clauderetur peccatum, quod reuera non esset contra votum, sed ex sola erronea operantis conscientia. Atque similiter est idem dicendum de commutatione, & irritatione voti sic impetratis.

De Votorum commutatione.

CAPUT XLIX.

An semper ad vota commutanda exigatur potestas Ecclesiastica? Et qualis illa sit? Et in quibus personis ordinaria reperiat?

SUMMARIUM.

Explicatur ordo servandus, & quotupliciter fiat commutatio, n. 1. An commutatio in maius bonum exigat auctoritatem prelati? Refertur quaedam sententia, n. 2. & 3. Explicatur sententia Auctoris, n. 4. Quid, si votum illud sit in tertio favore? Remissio, n. 5. An promittens elemosinam cuidam pauperi, possit alteri, vel sibi pauperiori conferre? n. 6. Quid, si dubium sit, an commutatio sit in melius? n. 7. Quid, si sit certitudo moralis maioris bonitatis? n. 8. Solvuntur argumenta, n. 9. Post num. 9. habet alia summaria.

1. IN tractatu hoc de votorum commutatione hic ordo servandus est. Primo loco agemus de potestate petita ad vota commutanda, & apud quos ordinaria sit, & de causa, ac materia subrogata aequalitate ad commutationem petitis, & quando defectu horum, aut ex vero tacto, aut falso expresso corrumpat commutatio. Secundo loco, ad que vota ea potestas ordinaria extendatur, & qualem subiectionem petitis, bullæ, vel iubilæi, aut quocumque alia. Quarto loco de effectu commutationis erga votum, nempe, qualiter efficiat materiam subrogatam, & delect omnino priorem, etli commutari votum, nempe, in maius bonum, aut in bonum æquale, aut in minus. Et ideo triplex est disputanda questio. Prima, de commutatione in melius. Secunda, de commutatione in bonum æquale, aut minus. Ultima, quando exigatur potestas Ecclesiastica ad commutandum, & qualis sit illa, & in quibus personis sit ordinaria.

2. Questio prima. An ad commutanda vota in melius, exigatur aliqua prelati auctoritas, an potius propria voventis auctoritate commutari valeant? Quidam tradunt exigi prelati auctoritatem. Ducuntur primo, ex illo Levitici c. ultimo, Animal autem, quod immolavit pro Domino, si quis voverit, sanctum erit, & mutari non poterit, nec melius in malum, nec peius in bonum. Secundo, ex c. Licet, de regularibus, ubi non licet religioso professo transire a laxiori ad strictiorem religionem, nisi petita superioris licentia. Cuius tamen consistit commutationem hanc esse in melius. Tertio, ex c. 1. de voto, ubi Pontifex ait commutationem voti ab eius, qui presidet, arbitrio potest uti potestatis in seipsum, eo vel maxime, quod privati iurisdictione profus careant. Quinto, quia promittens homini rem determinatam, non liberatur dando meliorem, lib. 2. ff. si seruum petatur. Sexto, quia ieiunium lege, aut sacramentali penitentia iniunctum, nequit in melius auctoritate propria commutari. Tandem, quia mendax est ac fides frangit, qui rem promissam denegat, quantumvis meliorem reddat. Et ideo huius sententia videtur aperte D. Thom. 4. disp. 38. q. 1. art. 4. q. ultim. in corpore, ubi hæc ait: Commutatio est quidam contractus, qui perfici nequit abque consensu utriusque partis, & ideo nequit fieri sine consensu eius, qui vicem Dei gerit in terris. Quare si utrumque votum est commissibile, debet utrumque servari, nisi auctoritate superioris minus precedens in votum minus commutetur. Et in propriis terminis docent Innocentius c. Porro, et 2. numero unico, de iuramentis. Et ibi Joannes Andreas statim in principio, Bolognini num. 1. Antonius num. 5. Baldus num. 2. Ancharanus num. 1. Abbas num. 2. Henricus num. 1. Bellamerus num. 2. Felinus num. 1. Alexander de Nevo num. 7. & S. D. Bonavent. 4. d. 38. art. 2. qu. 2. & ibi Rodardus art. 8. q. 1. Supplementum Gabrielis ibi q. 1. art. 5. vobis